J.xviii 18/d
21084/P
50494

DISPUTATIO MEDICA *INAUGURALIS* DE Sterilitate in utroque Sexu;

QUAM,

DUCE ET AUSPICE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

HIERONYMI VAN ALPHEN,

S. S. Theol. Doctoris & Profeſſoris Ordinarii.

NEC NON

Ampliſſimi Senatus Academici conſenſu, & Nobiliſſimæ Facultatis MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè conſequendis,

Eruditorum Examini ſubjicit

JOH. HENRICH DUGGEN. Malchov. Megapolit.

Ad diem 26. JULII, *loco horisque ſolitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina GUILIELMI vande WATER, Academiæ Typographi. cIↃ IↃ CCXVII.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

PROOEMIUM.

Generationis humanæ negotium utriusque ſexus *maris* ſcilicet & *feminæ* copula carnali, eoque ipſo, utriusque ſeminis fœcundi intima unione, ſive ovarii feminei, a ſemine maris fæcundatione, & animæ humanæ productione abſolvitur. Creavit Deus, ter optimus maximus, bonorum omnium gubernator & conditor, hominem ſibi ſimilem, *maſculum* ſcilicet & *feminam*, eandem ipſa *mulier* cum *viro* ſortita eſt mentem rationem atque ſermonem, ad eundem tendit beatitudinis finem; nulla itaque ab eſſentia animæ inter *virum* & *mulierem* alterius ſuper alterum nobilitatis proëminentia, ſed utrisque eſt par dignitas, & innata libertas.

Datur quoddam genus hominum vaniloquio ſermonum quaſi turgidum, quod magno ſane cum conatu, modo nobilitatem & præcellentiam ſexus *maſculini* præ *femineo*, ob prioritatem creationis, ob longe robuſtiorem, & perfectiorem exiſtentiam artuum, modo nobilitatem & præcellentiam ſexus feminei, præ maſculino probare vult: adducunt hi vaniloqui verba ſapientiſſimi dum ait: *ubi non eſt mulier ingemiſcit æger*; quæ de lacte femineo intelligi volunt, quod ſcilicet in multis morbis v. g. ſcorbuto, lepra, ſcabie, & infinitis aliis, feliciſſimo cum ſucceſſu, &

tanquam panacea in omnibus morbis, ubi acrimonia ſanguinis peccat adhibeatur; vel ſolùm mulierum naturam, quæ facile omnium diſciplinarum artifices ſuperare poſſe ajunt: dum ſcilicet a nutricibus melius ſermonem addiſcamus, quam a Grammaticis, ſe bene dicendi Magiſtros jactantibus, & ſexcenta alia. Sed hac de materia verbis ſi eſſem prolixior, curioſitatis magis quam utilitatis fore putarem; interim manet verum quod Poëta canit:

Deſine vaniloquax ſexum laudare virilem
Plus æquo, laudum ne ſit acervus iners
Deſine, ſi ſapis, ſexum damnare malignis
Fœmineum verbis, quæ ratione carent.

Eſt tamen quædam ſexuum differentia, quæ tamen non niſi ſitu partium corporis diverſo conſtat, ſicuti ſtupendum procreationis generis humani requirebat myſterium, ideoque utriuſque etiam ſexus culpa generatio impediri & ſterilitas oriri poteſt. Qua de ſterilitate, ut & de ejus differentia, & quomodo tuto, caute, & jucunde curari queat, uberius in ipſa diſſertatione tractabimus. Faxit Deus feliciter.

DISPUTATIO MEDICA
INAVGVRALIS,
DE
Sterilitate in utroque Sexu.

Sterilitas Germanis die unfruchtbarkeit / dicitur a στερέω privo ſive careo; datur in utroque ſexu, ſo woll by Manns als Weibes-perſonen. Magna tamen ejus eſt differentia.

Sterilitas enim in *Viris* nihil aliud eſt quam impotentia fœcundandi ovum muliebre, alias fœcundum, & ad conceptionem aptum, ſive impraegnandi feminam, alias fœcundam & conceptioni aptam, ab organorum genitalium vitio dependens. Longe aliter autem ſe habet cum ſterilitate feminarum.

Sterilitas *in fœminis* eſt impotentia concipiendi, fœtumque perficiendi in femina debito tempore viro utente, ab organorum genitalium conſtitutione præternaturali dependens.

Duo enim contraria juxta ſe poſita magis elucefcunt, habes itaque in definitione ſterilitatis in *Viris* ſubjectum primarium, quod hæret in organis genitalibus, quæcunque ad ſeminis generationem aſſervationem, & ejaculationem faciunt. Secundarium autem oritur a totius corporis intemperie frigida, humida, modo nimis calida, ſicca, cachectica, item viſcerum corruptione, aliisque innumeris morbis, quibus organa iſta, alias ad generationem formata prorſus ad generationem inepta reddantur.

Proxime autem & ſemper malum hoc a vitio & læſione organo-

rum genitalium dependet & quidem modo culpa vaſorum præparantium, modo aſſervantium & ejaculantium, modo plurium ſimul. Conſiſtit autem illa læſio vel in *mala conformatione*, quando ſcilicet membrum nimis eſt breve, aut nimis longum, quando patiens laborat phimoſi & paraphimoſi, quando penis non eſt perforatus, *vel in prava diſpoſitione ſuccorum* in illis, v. g. intemperie quacunque, non ſolum frigida & humida, ſed etiam nimis calida & ſicca, acida, ⊖ ſa', viſcida, fixa, iisque omnibus vel a nativitate vel aliunde contractis.

Dantur etiam cauſæ ſterilitatis externæ, v. g. Venus frequens, coïtus immaturus, f. ſimilis vitæ ratio, ſaltus, motus vehemens, gonorhæa, morbi maligni, & infinita alia. Sic: *Borellus* cent. IV. obſervatt. ſuar. experientia edoctus meminit, quod ex gaudio nimio, nec non pudore & verecundia ſæpius ſterilitatem temporariam obſervaverit. Sic *Ephem. Germ. Dec. a* III. viri cujuſdam exemplum referunt, qui fervente hiemis frigore equitando paralyſin colis nulla arte curabilem contraxerit; propter contuſionem capitis & lumborum *Hildanus* Cent. V.; ex imbecillitate vaſorum ſpermaticorum & ob venerem immoderatam *Plater*. l. I. ex eroſione illorum vaſorum *Hildanus* Cent. V.: ſic eandem ex unguento ☿li contra pediculos ortam habet *Schenckius* Lib. IV. Obſ. 2. audiamus ejus verba: Cum Nobilis quidam adoleſcens, in pudendis pediculorum quodam genere, quod ea loca maxime vexat, atque infeſtat conflictaretur, a Chirurgo quodam petiit, ut ſibi unguentum aliquod, ad depellendos iſtos ſubminiſtraret, chirurgus exhibet illi quoddam, ex unguento vivo confectum, quod ille dum aliquoties illeviſſet, ſenſit membrum virile plane frigidum, & torpidum, & ad venerem plane ineptum, quo damno vehementer perculſus, cum mihi noxam hanc aperuiſſet, dixi bono eſſet animo, fore, ut naturalem vim genitalium brevi reciperet, ita ut animalcula illa depellerem, & illum torporem genitalium corrigerem, dedi ipſi 🜍 ſpicæ ſubinde illinendum, quo cum uſus eſſet & illos pediculos fugavit, & genitalem vim brevi tempore recepit.

De vitiis conformationis admodum variis huc facientibus, iisque inſignioribus & maxime notabilibus exempla invenies apud *Bartholin. cent.* 3. hiſt. anat. 61. *Fernel.* lib. IV. de abdit. morborum cauſis, *Regn. de Graaf* de organ. Mulierum: per venena & philtra inductam ſterilitatem refert *Sennert*, *Fernel.* & alii: incantationibus *Viros* poſſe

poſſe evirari non facile credo, ne autem autoritati tantorum Virorum v. g. Codronch. l. III. de morb. venef. Bodi. l. II. c. I. *Borell.* Cent. I. obſ. 91. qui hac de materia ſtupenda adduxere exempla, contradicam, ſit fides penes autores. Extinguitur virilitas ex ſenio, ex morbo, ex cauſis omnibus, quæ inſitum ſpirituum robur diſſolvunt ex incantamentorum (neque enim fabula eſt) maleficiis & medicamentis a proprietate a qualitate manifeſta perimunt Fernel. lib. VI. cap. 13. pathol. ſic lupi virgam, in alicujus nomine ligatam ſterilitatem conciliare poſſe creditur, & ſi quis malevolus, cubiculi, in quo ſponſus cum ſua ſponſa decumbit, oſtium ſolum pulſet, inclametque infigens januæ cultrum cuſpide, atque in ligno relicta, is qui adornat maleficium, tacitus diſcedat ſponſum ea nocte nihil poſſe in re venerea fertur. interim credo in omnibus exemplis ab autoribus adductis naturales potius adfuiſſe cauſas, & ſupernaturales cauſas non eſſe accuſandas.

Cognitis & perſpectis cauſis, quæ ſterilitatem in Viris fecerunt, progredimur nunc ad cauſas ſterilitatem in feminis facientes, hæ igitur ratione ſtructuræ corporis multum differunt, a cauſis ſterilitatem in Viris cauſantibus. Definitionem ſterilitatis in feminis jam ſupra dedimus quod ſcil. ſit impotentia concipiendi fœtumque perficiendi, quod probe eſt notandum: ſic mulieres non ſtatim ſteriles ſunt appellandæ quæ vivos producere nequeunt teſtes; licet conceperint, rite tamen formatum fœtum, debito tempore excludere non potuerint, wen es der frauen unrichtig gegangen ſed illæ quæ licet debito tempore Viro fuerint uſæ, impotentia laborant concipiendi, fœtumque perficiendi. Ratione igitur circumſtantiarum cauſæ mirum in modum variant; *Primaria cauſa* iterum in organis generationi inſervientibus, *ſecundaria* modo in ſanguine, modo in reliquis viſceribus latet; ſic ſæpe fit ob intemperiem nimis frigidam humidam, ſiccam, ⊖ſam, ſcorbuticam, de quo vid. *Foreſt.* l. 18. obſ. 58. fœcundationi obſtare defectum ovulorum, & ovarii refert *Riolan.* anatom. c. XXXV. p. 339. ovarii hydropem *Tulpius* ſ. IV. obſ. 4. ovarii tumores *Vesling* anat. c. VII. Cicatricem ovula tegentem *Helvet.* p. 909. occluſiones oviductuum *Ruyſch.* obſerv. anatom. LXXXIII. Uteri vitioſam conformationem *Columbus:* caſtrationem apud veteres olim uſitatam Joh. *Brod.* Miſcel. LV. c. 3. uteri duritiem & ſcirrheſcentiam *Manget.* ſect. XXI. obſerv. 55. Tumorem colli uteri *Hildanus* Cent. I. obſerv. 65. 66. clauſuram orificii ſive externi ſive interni vid. autores antea citati, duritiem omenti, &

Cli-

Clitoridis magnitudinem monſtroſam *Platerus* obſ.667.prolapſum uteri, & lubricitatem cavitatis uteri ob humores pravos *Barthol.* de infimo ventre, & imperforationem uteri & vulvæ, prolapſum uteri, &c. ſic omnes hic referri poſſunt cauſæ externæ jam ſupra citatæ.

Nunc prudentis artis ſalutaris Magiſtri erit infallibile ferat judicium, an vitium ſterilitatis viro, an feminæ ſit tribuendum, ubi nunc probe conſiderandæ ſunt omnes cauſæ antecedentes concomitantes & conſequentes, præcipue vero, an aliquis adſit diſproportio copulatorum, quæ conſiſtit in diſconvenientia organorum minus proportionatorum. Si Medico utrique copulatorum conceditur inſpectio, facile cognoſcet, an ſcilicet membrum virile ſuetam ſuperet magnitudinem, femina autem nimis ſit arcta, vel contra femina nimis ſit ampla, vir autem habeat juſto minus; ſi autem ob nimium pudorem ſ. aliam ob cauſam denegetur, nihilominus diagnoſin ferat Medicus neceſſe eſt. Sic enim apud Avicennam Arabum Medicorum principem legimus: ſi ſcire cupis, quiſnam conjugatorum ſit ſterilis, aſſumantur duo ſpermata, & projiciantur ſuper ▽m, quodcunque illorum natat in ▽a, tum ex parte illius eſt defectus. Fundantur duæ urinæ ſuper lactucam, & ex illo eſt defectus cujus ⊡a *execaverit* illam. Sumantur 7. grana tritici, & 7. grana hordei, & 7. fabæ & ponantur in vaſe teſteo, & mingat ſuper ea unus amborum, & dimittantur 7. diebus, tunc ſi grana naſcuntur non eſt ſterilitas ex parte ejus. Suffumigetur matrix mulieris in trajectorio cum ſuffumigatione aromatica, tunc ſi penetrat odor uſque ad nares, ejus cauſa non eſt ex ea, & ſi non penetrat, tunc illic ſunt humores mali prohibentes. *Hippocrates* jubet allii caput deraſum in uterum ſubdi, etſi poſtridie odor ad os pervenerit, eam ad conceptionem aptam, ſin minus ineptam fore affirmat. Vel ℞ coaguli leporis ℥i quam diſſolutam in ▽a calida mulieri in Balneo exiſtenti propina, quod ſi ſentiat dolores, & ventris tormina fœcundam eſſe ſin minus contra aſſerit *Amatus*, alii peſſarium imponunt ex Galbano capite bene fumigato & circumvoluto, ſi mane odor Galbani ex vertice exierit, fœcunda erit mulier, ſin minus contra. Sed nugæ ſunt: Si autem quis copulatorum his confidit experimentis, unum vel alterum eligat, de quorum autem veritate aut certitudine ego ſane autor non ero, interim, quoniam mundus vult decipi, quilibet faciat quid velit.

Longe

Longe autem alia incedendum eſſe via, puto, ſi de ſterilitate, & cuinam copulatorum ſit tribuenda, velimus eſſe certi, ſic prudens Medicus omnes cauſas antecedentes concomitantes & conſequentes conſiderare debet. Ponamus exemplum v. g. Juvenis quidam 27. annorum, in matrimonium duxit virginem 20. annor, temperamenti ſanguinei optimæ ſane conſtitutionis, ſed hi conjugati ſunt ſteriles. Juvenis hic uſque ad annum 26. ſplendide vixit, Cereri & Baccho indulſit, quotidie Venere fuit uſus, & quidem bis ter quaterve de die, magnam vini aut vini aduſti imbibit copiam, parum vel plane non quievit de nocte, laboravit gonorrhæa, febri vexatus fuit ardenti. &c. hic habes cauſas antecedentes, nunc autem juvenis hicce pallida incedit facie, non firma fruitur valetudine, in actionibus omnibus languet, inter comedendum obdormiſcit, ſolitudinem amat, rarius & ſegnius concubitum appetit, penis non erigitur, imprimis feminæ conſuetudinem fugit die frau mag ihm careſſiren ſo viel wie ſie immer will ſo hat er doch keine luſt ihr careſſen zu erweiſen habes cauſas concomitantes, inde ſequitur, ſi concubitum celebrat hoc fit abſque voluptate, er empfindet keinen appetit dabey / ſemen tardius emittitur, quoniam nimis eſt ▽oſum ob defectum -∩-uum, vel craſſum; vel parcum, vel corruptum, hæ ſunt cauſæ conſequentes. Longe aliter autem ſe habet cum conſtitutione mulieris, hæc ante nuptias, quoniam matris ſubfuit imperio ſemper diætetice vixit, venere uti non fuit permiſſa, quoniam mater vigilantia argum ſuperaverit, ideoque mulier hæc firma fruitur valetudine, in omnibus actionibus lætatur, rubicunda incedit facie, amat converſationes, concubitum ter, quaterve, in una hora appetit, & quidem cum inſigni voluptate, menſes rite ſecedunt; pulſus eſt æqualis, ab incunabulis nullo vexata fuit morbo &c. ſi caſum ita ponamus quis unquam Medicorum ſterilitatis culpam viro denegaret.

Multa adhuc alia ſigna probandi in utroque ſexu ſterilitatem inter vulgum circumferuntur v. g. ab urina, a colore menſium, ſignum ex colore annuli nuptialis, ex gravitate pilorum ex pudendis quando ▽am ſupernatant aut contra, illa a nobis non probantur, varia hac de materia experimenta legi poſſunt apud *Sinibaldum* in Geneantropia, *Valeſ. de Taranta Philon.* Roman.

Cognitu difficile, imo difficillimum eſt, cui conjugatorum conjugium ſterile ſit tribuendum, interim ſi medicus omnes ſimul conſiderat cauſas in utroque ſexu, omnium admiratione rem acu

 tanget.

tanget. Ad quod etiam multum facit, ſi conſideret an femina jam ſecundo vel tertio marito ſano ſociata nunquam conceperit? & tunc culpa omnino eſt in femina, vel contra, an maritus ſecundæ vel tertiæ, vel quartæ feminæ ſanæ fuerit ſociatus, cum 2. & 3. nullam, cum 4. autem produxit imaginem ſibi ſimilem, tunc Medicus merito ſuum ſuſpendit judicium, interim de veritate regulæ Philoſoph. non dubitabit: quod quis per alium facit, id ipſum feciſſe putandum, alter enim fecit puerum alter tulit honores.

Prognoſin, medicus felicius inſtituet, cognitu enim haud erit difficile, ſterilitatem facilius curari, ſi non adeo graves urgent cauſæ, v. g. ætas nondum ſatis matura, aut quando dependet ab intemperie frigida, aut a vitio & corruptione humorum aut a proſtratione virium, ab abuſu Veneris, item phimoſi a paraphimoſi & ſimil: quam ubi organorum vitia occurrunt præcipue intrinſecus latentia parum nempe vel nullum ſpei eſſe relictum, ubi omnes vires penitus exhauſtæ, ſive ob ætatem grandiorem, ſive morbos diuturnos & graviores, vel etiam vitia organorum huc facientium, nativa, vel adſcititia, corrigi non poſſe, ſic ſterilitas ex ulceribus contracta difficillime curationem admittit Hippoc. lib. 11. prog. 3. Curam igitur quod attinet, ita eſt dirigenda, ut materia peccans removeatur, tonus autem viſcerum corroboretur, quoniam tot requiruntur ſymptomatum curæ diverſæ, quot cauſæ ſuperius ſunt allatæ, quilibet facile videbit, has ex propriis capitibus eſſe petendas, ſic in ſterilitate adhibenda erunt modo remedia pharmaceutica, modo chirurgica. Ut a pharmaceuticis faciamus initium, in intemperie frigida, humida, Phlegmatica, viſcida, ubi nempe adeſt defectus 🜔oſi ſeminis, præmiſſis, pro neceſſitate, alterantibus univerſalibus, conveniunt volatilia balſamica, 🜔oſa, euporiſta: v. g. chocolada indica, piper, zingiber, in parca doſi, cardam. caryophylli, macis, cinam. ambra & Moſch, etiam in moderata quantitate, & ∇a vitæ Matthiol. ∇ magnan. ∇ cinam &c. addi etiam poteſt Thea natur. & artif. niſi aliud quid contraincidet.

℞ *Elect. ad coit. Zwelf.* ℥ij. *ſ. Magnan. ſ. diaſatyr.*
Spec. diambr. vel aromat. roſ.
Diamoſch. aa. ʒi. *ſ. diaven. Minſicht.*
🝆 *Cinam g.* vij. *ſ. citr.*
Caryophyll. g. iv. *ſ. pip.*

Syrup.

Syrup. civam q. ſ. M. D. S.

Stärck Lattwerge duvon abends und morgens eine gute meſſerſpitze voll in einen trunck ſect zu nehmen.

Mulieribus propinamus quæ magis ad uterum ſpectant.

℞ *Eſſ. carminat. vel uterinæ.*
Caſtor. aa. ℥ß.
⊖ *Volat. Soſ.* ʒij. *M.*
℞ ▽ *meliß.*
Lill. conv. ſ. v.
Carminat. a. ℥i.
Conf. alk. incomp. ʒi.
Syrup. corall. q. ſ.
M. f. miſtura cochleatim ſumenda.

Aphrodiſiaca ſi arrident, rara apud *Proſper. Alpinum* de plantis Ægypt. c. 42. legimus: Alexandriæ urtica prima, quam Ægyptii vocant *angiar*, provenit copioſiſſime, & proinde ejus ſemina multos uſus ibi quoque habent, maximumque ad excitandam Venerem præſertim in frigidis corporibus, ſi cum vino dulci bibantur. Nonnulli ad idem, ex ſeminibus iis radiceque buzeidam ac melle componunt Electuarium cujus ℥ß quotidie ſumant.

Indi *Bangue* ſemen & folia edunt, ut fiant in venerem procliviores: *Garcias ab horto* l. IX. c. 12. ſi vero hilares eſſe volunt, & præſertim in venerem procliviores, ambaro & Moſcho, compoſitioni cuidam ſuæ additis Sacharo excipiunt, *Chriſt. a Coſta*, qui compoſitionem quoque exhibet. Hoc *Bangue* plurimam affinitatem habere videtur cum Turcorum Conſtantinopoli degentium *maſchlach*, quoad varios effectus eo utuntur; nonnulli etiam veſcuntur excitandæ Veneris gratia *Cluſius in not.* Nuper ex Alexandria ſemen allatum eſt, ſimile ſemini Goſſipii, ſed Lanugine nulla obvolvente, quo ad Venerem impellendam uti tradunt; bamiam Alexandrinam vocant: *And. Cæſalpinus* lib. XV. c. 4. de Plant. ☍ formicarum volantium plurimum facit ad coitum incitandum. Sic autem fit: formicæ alatæ cum ☍ in vaſe vitreo ſedulo occluſo inſolantur dies XL. *Melichius* in antidotario. Ova Cyprinorum frixa ſola & ſic comeſta Venerem mirum in

modum etiam in decrepitis excitant, & ad generationem faciunt propter naturam animalis: plurimum enim generat. *Cardanus* de ſanitate tuenda lib. III. c. 68. Gallinaceum pinguem verno tempore demta cute & interraneis, ſale factum in umbra ſuſpendito, donec areſiat; mox illum exoſſato atque una cum ⊖e conterito. In vitrea hamula ad uſus ſervato, obolis duobus, ſi bibitur, mire Venerem concitat. *Alexand. Benedict.* Cervinum penem ex beſtia, ubi libidine efferatur, capta, detractum probe exſiccato, in pulviſculum deterito cujus ℥ij cum ʒi piperis nigri remiſtas, ex vino malvatico mane continuis aliquot diebus vorandas præbeto iis, qui pigritante, & propemodum emortua Venere laborant, quos miraculo quodam reſtitues. *Encelius*, *Matthiol.* & alii. ▽a ex ononide mire prædicatur ut aliquot ex locis annotavi, ad impotentiam reſtituendam & ſemen augendum melius ſi eryngium ceruleo flore addatur. *Moccius* ad D. Schenckium ſeniorem. Sed quis prodigioſis confideret.

Medicamenta itaque antea commendata conveniebant temperamentis humidioribus, ſi vero e contrario malum ab intemperie magis calida ſicca, ſcorbutica, hectica, oritur, tunc quilibet facile videbit, iſta laudata nihil prodeſſe ſed potius magnam noxam maximumque inferre damnum, niſi forte in pauca doſi, & quidem cum aliis humectantibus adhibeantur: magis tunc conveniunt largiter nutrientia, humectantia, uſusque veneris valde moderatus qualem curam commendamus alias valetudinariis, hecticis, languidis. Ita ſi intemperies aliæ ſcorbuticæ, cachecticæ, vitia viſcerum, & in ſpecie organorum genitalium in culpa ſunt, eorum cura ſi aliqua ſperanda, ſuis locis, in chirurgia medica, tractatur. Si etiam malum non ab unius ſolum, ſed utriusque conjugis inæqualitate dependet eo allaborandum, ut ſibi fiant ſimiles. Indeque modo alterutri, modo utrique medicina facienda ſ. ſtimulans ſive temperans.

De impotentia ex faſcino, & incantationibus inducta, jam ſupra monuimus, nos illam dari non facile credere, interim a circumforaneis, remedia empyrica commendantur ſeqq., v. g. raſura annuli conjugalis ſ. cornu capræ, pulvis plantarum e ſaxis naſcentium, cereviſia cum betula cocta, mictio ſponſi ſuper ſcopas inverſas, a. per foramen aſſeris, ab extruſo nodo factum & ſimilia. Audiamus quæ Schenckius narrat.

℞. Unionum hyperici ʒi confice in pp. & cum ſtalactico Meliſſæ liquore

liquore probe invicem remiſta potui præbe, magnetem præterea a collo ſuſpende amuleti inſtar ut nudam cutem contingat; *Remedium* ſingulare & rarum.

Ad eundem effectum, bibat anatis maris cruorem exceptum infra alam ſiniſtram paulo ſcil. minus, quam vulgaris uſus dimidium ſcyphum.

Ex herbæ Paridis acino ſemen colligitur, cui non modo nulla deleteria vis ineſt, ſed etiam quod ad venficia præſtantiſſimum eſt medicamentum, novi n. ego quoſdam, quorum aliqui morborum diuturnitate, alii vero veneficio ſemiſtulti facti erant, hoc tamen paridis herbæ ſemine ad 20. uſque diem in pulv. hauſto ℨi pondere priſtinæ ſanitati omnino reſtitutos eſſe, id quod ego fateri poſſum. Matthiolus.

Si quis ad mulierem non poterit affectari obligatus herbæ priamis ei radicem id eſt teſticulum dextrum, qui major eſt teres, cum piperis albi gr. 47. ut in ſe habeat ℥ß. cum herba ſupra ſcripta & mellis ℥iv. & in vino optimo medicamentum ſolves, & pondo ℈ 9. per triduum ſumes, ad mulierem affectaberis continuo Lobelius p. 87.

Chirurgicis ſi Medicus uti cogitur operationibus v. g. ſi quis conjugatorum laborat phymoſi aut paraphymoſi, imperforatione penis, Clytoridis magnitudine, prolapſu uteri, imperforatione vulvæ, ex propriis curantur capitibus v. g. de uteri clauſi apertione vid. fig. apud Schult. T. XXII. vſ. 2. Hild. c. III. obſ. 61. & Cent. IV. obſ. 67. De uteri prolapſu & reſtitutione Chirurgica vid. Schult. Tab. XXII. vſ. 67. & T. XXIII. fig. 9. &c.

Ultimo tandem loco, curam addimus, diæteticam, ſic in intemperie frigida & humida, commendamus potiſſimum bene nutrientia, ♌oſa, aromatica, it. omnes cibos facilis concoctionis, & boni nutrimenti, imprimis cibos ex lacte, ex ovis, cancris, pineis, piſtaceis, fructibus pulpoſis, Chocolata, carnibus vitulinis, gallinarum caponum & ſimilibus paratos, quibus addantur aromata in debita quantitate v. g. piper, zingiber N. Moſchat. Macis, Caryophyll. arom. Cinam. Cardam. cubeb. ambr. & Moſch.

E contrario autem vitentur omnes cibi +di, viſcidi, crudi, potus nimius, & nimis ▽oſus, frigidus, craſſus, it. ♀is abuſus, &c. in cura enim ſterilitatis, præcipuum momentum in diæta bona ſitum eſt, nam ſine Cerere & Baccho friget Venus, fruſtraneum autem, pi-

peratis aliisque acrioribus ſtimulare, ubi ſeminis ipſius vel organorum defectus in culpa, mas enim ad coeundum aptus, non ſemper aptus ad fœcundandum, quemadmodum femina menſium fluxu gaudens propterea non ſemper ad concipiendum apta obſervatur, ſed ad potentiam fœcundandi requiritur, harmonia animorum, ſanitas, debitus viſcerum tonus, virium robur, imprimis debita partium genitalium proportio; excluſionem interim ovulorum, in ſalacibus, absque ullo prægreſſo coitu, piſcatoriam qui habet fidem credat

T A N T U M.

Corollaria.

I.

Antiquiſſimum quodque falſiſſimum.

I I.

Sine Cerere & Baccho friget Venus, abuſus a. Cereris & Bacchi facit ſterilitatem.

I I I.

Datur filius viduæ legitimus bonorum omnium hæres, quæ in conjugio fuit ſterilis, & cujus

jus maritus per biennium jam obiit ſine læſione famæ.

I V.

A vetula cui æger confidit citius ſperanda eſt ſalus, quam ab experientiſſimis artis ſalutaris Magiſtris.

V.

Honeſtum videri honeſtum eſt.

V I.

Mulieres ſæpe, & cum diverſis coeuntes viris non concipiunt.

F I N I S.